



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Historiæ Augustæ Scriptores VI**

Ælius Spartianus. Vulc. Gallicanus. Julius Capitolinus. Trebell. Pollio. Ælius  
Lampridius. Flavius Vopiscus

**Spartianus, Aelius**

**Lugduni Batavorum, 1671**

Gordianus Tertius.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51232)



catium Terentianum, qui sui temporis scripsit historiam, videtur mirabile, inferendum censui. Dicit enim Gordianum seniore Augusti vultum sic representasse, ' ut & vocem & morem & staturam ejusdem ostentare videretur: filium vero, Pompejo simillimum visum: quamvis Pompejus obesi corporis fuisse denegatur. Nepotem autem cujus etiam nunc videmus imagines, Scipionis Asiatici faciem retulisse. <sup>2</sup> quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi.

## GORDIANUS TERTIUS.

22 **P**ost mortem duorum Gordianorum, senatus trepidus & Maximinum vehementius timens, ex viginti viris quos ad Rem. tuendam delegerat, Pupienum sive Maximum <sup>1</sup> & Clodium Balbinum Augustos appellat-

*sui, quia mirabile visum est. Lectum apud Vulcatium Terentianum, qui & ipse historiam sui temporis scripsit. In literas misit; Gordianum seniore, &c. quæ totidem literis repetit etiam in membranis suis Casaubonus; nisi quod eadem habeant ad hunc vocem secundam: Sane quidem quod.*

SALMASIUS.

*5 Sane quidem quod apud Vulcatium Terentianum. ] Similiter hunc locum nobis scriptum exhibuerunt nostri libri, ut sui Casaubono, quorum si dem sequutus legenda & distinguenda hoc modo verba quæ sequuntur, existimo: sane, quod præmittendum esse non censui, quia mirabile visum est, lectum apud Vulcatium Terentianum, qui & ipse historiam sui temporis scripsit, in literas misit, Gordianum seniore Augusti vultum sic representasse, &c.*

*1 Ut & vocem, & morem & staturam ejus ostentare videretur. ] Quid appellat morem, aut quomodo morem Augusti ostentavit Gordianus? quid veros iste facit ad vultus representationem? puto corrigendum esse:*

*ut & vocem, & os, & staturam ejus ostentare videretur. scriptum olim vitio videtur fuisse, ut & vocem, & mos & staturam: ex quo aliquis fecit, & morem, scribi etiam posset, oris honorem.*

*2 Quod pro sui admiratione tacendum esse non credidi. ] Corruptissime legitur in Palatino: quod pro sui administratione. ne tamen aliter in suis libris videntur invenisse primæ editionis auctores: sic enim edi curarunt, quod pro sui administratione. sequitur eodem tenore, eademque litterarum figura: Gordianus tertius, post mortem Gordianorum. non enim novus titulus, grandiore littera scriptus huic loco imponendus. vide quæ supra super hac re notavimus.*

CASAUBONUS.

*3 Et Clodium Balbinum A. ] Abest à Regio Clodium. ante diximus Cælium fuisse nominatum, non Clodium.*

GRUTERUS.

*3 Et Clodium Balbinum. ] Sic & Pal. supraque etiam sæpe Clodius dictus, non Cælius.*



pellavit, ambos ex consulibus. Tunc populus & milites Gordianum parvulum annos agentem, ut plerique asserunt, undecim, <sup>1</sup> ut nonnulli, tredecim, ut Junius Cordus dicit, sedecim, (nam vigesimo & secundo anno eum perisse asserit) petiverunt ut Cæsar appellaretur: raptusque ad senatum, atque inde in concione positus, indumento imperatorio tectus, Cæsar est appellatus. Hic natus est, <sup>2</sup> ut plures asserunt, ex filia Gordiani; <sup>3</sup> ut unus aut duo, <sup>4</sup> (nam amplius invenire non potui) <sup>5</sup> ex filio qui in Africa periit. ° Gordianus igitur Cæsar factus apud matrem educatus est. Et quum extinctis Maximinis, Maximus etiam & Balbinus militari seditione interempti essent, <sup>7</sup> qui biennio imperaverant, Gordianus adolescens qui Cæsar eatenus fuerat, à militibus & populo & senatu & omnibus gentibus, ingenti amore, ingenti studio & gratia Augustus

CAS AUBONUS.

<sup>1</sup> *Ut nonnulli tredecim.]* Herodianus XIII. annorum facit, non cum Cæsar est creatus; sed cum imperium suscepit, extinctis Pupieno & Albino. Videtur sane jam tum grandiusculus fuisse, cum de Gordianis Augustis primus ex Africa Romam nuntius advenit. nam inter acclamationes faustas quibus novos Augustos senatus statim est prosecutus, fuere & quæ ad hunc pertinerent, atque adeo jam tum prætura illi destinata, & consulatus: nomen quoque Cæsaris petitum ab acclamantibus senatoribus. nam libro superiore habentur hæc verba: *Ambo feliciter agatis: ambo feliciter impereis. Nepoti Gordiani præturam decernimus: nepoti Gordiani consulatum spondemus. Nepos Gordiani Cæsar appelletur. Tertius Gordianus præturam accipiat.* Non concinunt ista iis quæ alibi narrat Capitolinus, itemque Herodianus: qui hunc cum Cæsar est factus vocat alibi infantem puerulum. Quare de fide illarum acclamationum potest non sine causa dubi-

tari. sed de trium Gordianorum rebus ita pugnantia scribunt veteres, ut quid potissimum probes non invenias.

<sup>2</sup> *Ut plures asserunt, ex filia Gordiani.]* Herodianus, *ὡς ἡ παιδίον νήπιον τῷ Γορδιανῷ Ἰουλιανῷ τέκνον, τὴν πάλαι πω ὀμάρουρον.*

<sup>3</sup> *Ut unus aut duo, nam amplius invenire non potui, ex filio.]* Amplius pro plures. nisi scribas, nam plures. horum duorum alter est Dexippus, ut mox dicitur. vide sequentem notam.

<sup>5</sup> *Ex filio qui in Africa periit.]* Post hæc verba collocari ista debuerunt; *Dexippus quidem asseverat ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum. quæ magno flagitio hinc avulsa, inferius aliquanto sunt posita.*

<sup>7</sup> *Qui biennio imperarunt.]* Vide ad sequentem librum.

GRVTERVS.

<sup>4</sup> *Nam amplius invenire non potui.]* Sic & Pal.

<sup>6</sup> *Gordianus igitur Cæsar.]* Idem Pal. *Gordianus scilicet Cæsar.*

I Ama.



gustus est appellatus. <sup>1</sup> Amabatur autem merito avi & avunculi, five patris, qui ambo pro senatu & pro populo Rom. contra Maximinum arma sumpserunt, <sup>2</sup> & militari vel morte vel necessitate perierunt. <sup>3</sup> Post hæc veterani ad Curiam venerunt, ut discerent quid actum esset. <sup>4</sup> Ex quibus duo ingressi Capitolium, quum illic senatus ageretur, ante ipsam aram, <sup>5</sup> à Gallicano

## CASAUBONUS.

<sup>1</sup> Amabatur autem merito avi & avunculi, five patris q.] Libro seq. Neque unquam quisquam in illa ætate sic amatus est, merito avi & avunculi seu patris, &c.

<sup>2</sup> Et militari vel morte, vel necessitate perierunt.] Mortè militari filius: necessitate pater; qui laqueo gulam sibi fregit.

<sup>3</sup> Post hæc veterani ad Curiam venerunt, ut discerent quid actum esset.] Ex Herodiano versum: sed vocem veteranus longa periphrasi Græcus scriptor expressit. adscribam ejus verba, ut legi debent: nam vulgo eduntur corrupte, *μαθόντες δ' οἱ στρατιῶται, ἐς τὴν στρατιῶν Μαξιμίω καὶ αὐλοίπει.* (ἤδη γὰρ αὐτοὶ ἀφῆσαν στρατίας ὄντες, καὶ δὲ ἡλικίαν, οἱμοὶ μετῴρησεν ἦσαν) ἦλθον μέχρι τῆς συκλήτης, βελδομοὶ τὸ πρῶτον μαθεῖν.

<sup>4</sup> Ex quibus duo ingressi Capitolium cum illic senatus ageretur ante ipsam aram.] Victoriæ aram intelligit. Herodianus: καὶ οἱ μὲν ἄλλοι αὐτῶν τῶν βελδομῶν δύο δὲ ἢ τρεῖς ἀειρερῶτερον ἐπακροῦσιν τῶν βελδομῶν θελήσαντες, εἰς τὸ σινέδριον εἰσῆλθον, ὡς τὸ ἰδρυμένον βωμῶν τῆς Νίκης ὑπερβῶν τῆς. Satis constat etiam in hac narratione sequi Capitolinum historiam Herodiani: cujus etiam pleraque ad verbum est hic interpretatus. Quod igitur ait Capitolinus S.C. hoc in Capitolio fuisse factum; exemplum est incogitantia, & humanus error: nam male accipit verba Græci scriptoris, qui duo S. C. ordine

commemorat: quorum alterum in Capitolio ait factum, alterum in Curia. at Capitolinus parum ad ejus verba attentus, vel duo S. C. in unum confudit: vel utrumque in Capitolio factum fuisse putavit, quem errorem verba Herodiani confutant. refellit & ara victoriæ quæ in Curia fuit, non in cella Jovis Capitolini. sed Capitolinus putavit *σινέδριον* appellatam ab Herodiano Capitolini Jovis cellam: quare ipse quoque Curiam appellat. præcedunt enim hæc verba: *Post hæc veterani ad Curiam venerunt.*

<sup>5</sup> A Gallicano ex consulibus, & Maccenate ex ducibus intererunt.] Herod. τῶν συκλήτης ἀνεῖ δὲ τὸ ἀπὸ τῆς νεώσεως, Γαλλικανὸς ὄνομα, Καρχηδονίῳ τὸ γένος, καὶ ἕτερον στρατηγὸς τὸ ἀξίωμα, Μακκίνας καλεῖται, ἔδην ἢ ἀπὸ τῶν ἀπὸ τῆς νεώσεως παλαιῶν πηληγαῖς καὶ ἀφῆσαν. Novum est illud genus loquendi, ex consulibus, pro, ex consule, five vit consularis. Græci retinuerunt & dixerunt ἀπὸ τῶν ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, & similia. Herod. dicere solet, ἀπὸ τῶν ἀπὸ τῆς νεώσεως. non erraveris fortasse si ex ducibus exposueris, qui ducum unus erat: erraveris, si ex consulibus ita fueris interpretatus, qui erat consulum alter: nam Gallicanus Consul tum non erat, sed paullo ante fuerat, ut ait Herodianus. apud Ammianum sæpe leges, ex duc. pro eo quod hic ex ducibus.

## SALMASIUS.

<sup>5</sup> A Gallicano ex consulibus, & Maccenate ex ducibus.] Non tam nova hæc locutio



licano ex consulibus & Mæcenate ex ducibus, interempti sunt: atque bellum intestinum ortum est, quum essent armati etiam senatores, ignorantibus veteranis quod Gordianus adolescens solus teneret imperium. <sup>2</sup> Dexippus quidem asseverat, ex filio Gordiani tertium Gordianum esse natum: & posteaquam constitit apud veteranos quoque, solum Gordianum imperare, inter populum & milites ac veteranos pax roborata est: & hic finis belli intestini fuit, quum esset delatus Gordiano puero consulatus. Sed indicium non diu imperaturi Gordiani hoc fuit, <sup>3</sup> quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur, neque sine luminibus accensis quicquam agi posset. <sup>4</sup> Post hæc tamen voluptatibus & deliciis populus Rom. vacavit, ut ea quæ fuerant

locutio quam videri volunt. exempla similis loquutionis non pauca supra retulimus, minime heic reponenda. Mæcenatē ex ducibus, non est dux, sed qui dux fuit: ut ex consulibus vir, pro viro consulari, & qui consul fuit. Herodianus *στρατηγὸν* appellat hunc Mæcenatē, hoc est ex ducibus. sic *ὑποαρχὸν*, ex consulibus. sic ex præfectis antea vidimus & notavimus pro viro præfectorio. sic infra in vita Gallienorum, viri ex militibus, qui milites fuere, viri militares.

CASAUBONUS.

1 Ignorantibus veteranis, quod Gordianus adolescens solus teneret imperium. ] Quomodo solus? nondum enim perierant Maximus & Balbinus cum ista gererentur. Omnino confundit historiam bonus Capitolinus: quod magis etiam intelliges, si cum ipso fonte sequentia componas.

2 Dexippus quidem asseverat ex f. ] Jam diximus ista verba alio esse transferenda. ineptissime enim ab insulissimis hominibus hic sunt locata. sedem legitimam supra indicavimus. Quare iis sublatis, ita continuandus Capitolini textus: *ig. v. q. G. ad. solus teneret imperium: at postquam*

*constitit apud veteranos quoque solum Gordianum imperare, &c.*

3 Quod eclipsis solis facta est, ut nox crederetur. ] Lege quæ scripta sunt de hac eclipsi à magno viro Josepho Scaligero in quinto De emendatione temporum.

4 Post hæc tamen voluptatibus & deliciis pop. Rom. vacavit. ] Aurelius Victor, Gordianus solus regnum obtinuit: eoque anno lustræ certamine, quod Nero Romam invexerat, actio firmataque, in Persas profectus est. perperam vulgo legitur, aucto. egit Gordianus Neronia, & firmavit: id est, ut in posterum quinto quoque anno agerentur, sicut Nero instituerat, sanxit. Corruptus est & Zosimus in hujus rei mentione: scribit enim de tertio hoc Gordiano: *ἀφ' ἧς τῆς ἀπολαύσεως κατηφείας ὁ Ρωμαίων ἀνιέσθη δῆμιον ἔβασίλειας σκευηγῆς τε καὶ γυμνηγῆς ἀγῶσι τῆς πόλεως \* ἀπαρῶντι*. ante ultimam vocem desunt aliquot verba in hanc sententiam: *ὅτι τῆς ἐνοίας τῆς ἀπολαύσεως δὲ γυμνῶν αὐτῆς ἀπαρῶν. vel, ὅτι τῆς ἀπολαύσεως λυπηρῶν αὐτῆς ἀπ.* simile est quod subijcit hic Capitolinus: ut ea quæ fuerant asperè gesta mitigaret.



rant aspere gesta, mitigaret. Venusto & Sabino coss. inita est factio in Africa contra Gordianum tertium duce Sabiniano: quem Gordianus per præsidem Mauritanæ obsessum à conjuratis, ita oppressit ut ad eum tradendum Carthaginem omnes venirent, & crimina confitentes & veniam sceleribus postulantes. Finita igitur sollicitudine in Africa <sup>2</sup> Gordiano jam iterum <sup>3</sup> & Papiniano coss. bellum Persicum natum est. <sup>4</sup> Quare adolescens Gordianus priusquam ad bellum proficisceretur, <sup>5</sup> duxit uxorem <sup>6</sup> filiam Missethei, doctissimi viri, quem causa eloquentiæ <sup>7</sup> dignum parentela sua putavit, & præfectum statim fecit. post quod non puerile jam & contemptibile videbatur imperium: siquidem & optimi soceri consiliis adjuvaretur, & ipse

1 *Inita est factio in Africa.* ] Confer cum Zosimo: qui describit ex iisdem auctoribus quos & Capitolinus sequitur.

2 *Gordiano jam iterum & Papiniano Coss.* ] Scribendum ex Fastis, & Pompejano. atque ita liber clarissimi Puteani.

3 *Duxit uxorem filiam Missethei.* ] Putabam è Zosimo scribendum *Timesidus*. nam quis est vir bonus, qualis hic fuit, qui *Missetheus* nomen gestare velit? quis qui non abhorreat? Sed vulgaram istius nominis scriptionem retinent veteres codices: & quod valde miror, vetus lapis Romæ quem infra describimus. Egredere tamen adducimur, ut eam appellationem veram credamus. nam vel *Timesitheus*, vel *Missetheus*, aut aliud simile nomen, rectum putamus: unde istud postea fuerit confictum. Accedit, quod *Missetheus*, nomen barbarum est: nam vel *Missetheus* vel *Missetheus* fuerat dicendum.

4 *Dignum parentela sua putavit.* ] Dignum iudicavit, cui se in filium daret. nam gener socerque patris & filii nomina usurpabant, ut in sequentibus epistolis leges, & saepe alibi.

## GRUTERVS.

3 *Et Pompejano Consulibus.* ] Revocavi lectionem Palatinam, præsertim ad stipulantibus membranibus quas versavit Puteanus; item ad severantibus Fastis. male prius editi, *Papiniano*.

4 *Quare adolescens Gordianus.* ] Pal. quando & adolescens; quod & ferri posset, ut pendeat à superioribus.

5 *Duxit uxorem.* ] Pal. præposita copula, & duxit uxorem.

6 *Filiam Missethei.* ] Pal. & heic, & infra, scriptum habet, *Missethei*, sed tertio præfert vulgatum nostrum.

## SALMASIVS.

5 *Duxit uxorem filiam Missethei doctissimi viri.* ] De ratione hujus nominis ad hunc locum disputat vir eruditissimus, nec sincerum esse putat, ut vulgo scribitur. quis enim, inquit, vir bonus qualis hic fuit, qui *Missetheus* nomen gestare velit? quasi vero *Μισσηθεος* & *Μισσηθεος* hoc nomen sit compositum. quod verum esset, si *Missetheus* scriberetur. *Missetheus* igitur exaratum pro *Missetheus*. *Missetheus* autem ut *Λυσισθεος*, *Δοσιθεος*, *Περσιθεος*, *Προσιθεος*, & alia multa ad hunc modum facta.



<sup>1</sup> & ipse pro pietate aliquantulum saperet, <sup>2</sup> nec per spadones ac ministros aulicos matris, <sup>3</sup> vel ignorantia, vel conniventia venderetur. Extat denique & foceri ejus <sup>24</sup> ad eum epistola, & ipsius Gordiani ad focerum, qua intelligitur ejus seculum emendatius ac diligentius focero adjuvante perfectum, quarum exemplum hoc est: *Domino filio & Augusto, Misitheus socer & praefectus. Evasisse nos gravem temporum maculam, qua per spadones & per illos qui amici tibi videbantur (erant autem vehementes inimici) omnia vendebantur, voluptati nobis*

CASAUBONUS.

<sup>1</sup> *Et ipse pro pietate aliquantulum saperet.* ] Vide num potius sit, pro arate, vel pro sua arate.

<sup>2</sup> *Nec per spadones ac m.* ] Latenter indicat prius hoc factum, quam gener esset optimi foceri. vide sequentem Timesiclis epistolam.

<sup>3</sup> *Vel ignorantia conniventia venderetur.* ] Locus corruptus. Sed legendum sic: nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantis, vel conniventis, venderetur.

SALMASIVS.

<sup>1</sup> *Et ipse pro pietate aliquantulum saperet.* ] Non est pietas quæ facit ut sapiamus, etsi non negem sapere qui pii sunt. sed sapere heic aliud est, rerum nempe intelligentem esse, & prudentem. legebam olim ex conjectura: & ipse pro arate aliquantulum saperet. eam mihi postea confirmavit vetus codex. puer erat, vel admodum adolescens cum ad imperium venit hic Gordianus. cujus imperium non puerile nec contemptibile videbatur, quod & ipse pro arate captu aliquantulum saperet, & sapientissimi viri foceri sui consiliis adjuvaretur. de veritate hujus lectionis improbe faciet, qui dubitabit.

<sup>3</sup> *Vel ignorantia conniventia venderetur.* ] Vitiosus hic locus ἐν τοῖς ὑόλιθω. puto emendandum: nec per spadones ac ministros aulicos matris, vel ignorantia vel conniventia venderetur. aut

stulti sunt quidam principes, aut mali. isti se vendi volunt, & conivent: illi cum venduntur ignorant. utriusque vitii macula liberat Gordianum Capitolinus, ac neque conniventem, neque ignorantem esse venditum per aulicos ministros ac spadones matris testatur. potest tamen etiam aliter emendari distinctione paulum immutata ad hunc modum: nec per spadones aut ministros aulicos, matris vel ignorantia, vel conniventia venderetur. & hæc indubitata lectio & lectionis inter punctio. Gordianus hic priusquam duceret uxorem filiam Mysithei, totus fuerat in potestate matris: cujus vel ignorantia vel conniventia per spadones & aulicos ministros vendebatur fumis hic parvulus princeps. cum igitur mater ejus omnia in imperio filii nomine ageret, & administraret, aulicis ministris fumos de imperatore vendentibus conivebat, vel etiam ipsa ignorante hoc fiebat. postquam vero Mysithei hominis optimi & prudentissimi filiam duxit uxorem, in potestate matris esse desuit, & focero se regendum dedit, cujus consiliis adjutus obtinuit ne amplius vel conniventia matris venderetur.

GRUTERVS.

<sup>2</sup> *Nec per spadones ac ministros aulicos matris vel ignorantia conniventia venderetur.* ] Pal. ignorantia, ut videatur legendum, aulicos, matris vel ignorantia conniventiae, venderetur.

H 2

I Et



nobis est, <sup>1</sup> & eo magis quo tibi gratior emendatio est: <sup>2</sup> ut si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet, mi fili venerabilis. neque enim priusquam ferre potuit datas eunuchis suffragantibus militum proposituras, negatum laboribus premium, aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non ducebat: <sup>3</sup> vacuatum ararium per eos qui quotidie insidiosissime frequentabant inittas factiones, ut tu decipereris, <sup>4</sup> quum inter se de bonis pessimi quique <sup>5</sup> haberent ante consilia tibi met suggerenda: bonos pellerent, detestandos insinuarent, <sup>6</sup> omnes postremo tuas fabulas venderent. Diis igitur gratias quod volente te ipso emendata Respub. est. Delectat sane boni esse principis sozerum, & ejus qui omnia requirat & omnia velit scire, & qui pepulerit homines per quos antea velut in au-  
 25 ctione positus nundinatus est. Item Gordiani ad ipsum: Imperator Gordianus Augustus Misitheo patri & praefecto. Nisi dii omnipotentes Romanum tuerentur imperium, etiam nunc, per emptos spadones velut in hasta positi venderentur.

## SALMASIUS.

<sup>1</sup> Et eo magis quo tibi gratior est.] Palatinus: quod tibi gratior est.

<sup>2</sup> Ut si qua vitia fuerunt, tua non fuisse satis constet.] Non igitur vitium Gordiani fuit, quod prius venderetur, sed matris, cujus ignorantia vel conventia omnia per spadones & aulicos administrabantur. quod non parum confirmat nostram in superiore animadversione emendationem.

<sup>3</sup> Vacuatum ararium per eos qui quotidie insidiosissime frequentabant.] Lucem non parvum huic loco conferet, qui distinguet hoc modo: negatum laboribus premium. aut interemptos aut liberatos pro libidine atque mercede quos non ducebat. vacuatum ararium. per eos qui quotidie te insidiosissime frequentabant inittas factiones, ut tu decipereris. absque qua interpunctione non carebat obscuritate tota haec oratio.

<sup>4</sup> Quum inter se de bonis pessimi quique

haberent consilia tibi met suggerenda.] Vocem heic necessariam restituumus, ope scripti codicis: quum de bonis inter sese pessimi quique haberent ante consilia, tibi met suggerenda. quam miror omnifam in omnibus editionibus quae primam sunt sequuta, cum prima eam habeat.

## GRUTERUS.

<sup>5</sup> Haberent anteconsilia tibi met suggerenda, &c.] Sic optime Pal. unica dictione. in vulgatis antea, tantum erat, haberent consilia tibi.

## CASAUBONUS.

<sup>6</sup> Omnes postremo tuas fabulas venderent.] Quid sit, aperit Lampridius in Alexandro, ubi de Turino fumorum venditore loquitur.

<sup>6</sup> Peremptos spadones.] Lampridius in Alexandro Severo: eunuchi cum empti sint, & pravi fuerint, quid tandem possunt boni sapere?



remur. <sup>1</sup> Denique nunc demum intelligo, <sup>2</sup> neque Felicem pratorianis cohortibus praponi debuisse, neque Serapammoni quartam legionem credendam fuisse: & ne omnia dinumerem, <sup>3</sup> multa non esse facienda quæ feci: sed diis gratias quod te insinuante, qui nihil vendis, didici ea quæ inclusus scire non poteram. Quid enim facerem, <sup>4</sup> quod nos Maurus venderet, & consilio cum Gaudiano & Reverendo & Montano habito vel laudaret aliquos, vel vituperaret: & illorum consensu quasi testium quod dixerat approbarem? Mi pater, verum audias velim: miser est imperator apud quem vera reticentur: qui quum ipse publice ambulare non possit, necesse est ut audiat, & vel

audiat

GRUTERUS.

<sup>1</sup> Denique nunc demum intelligo, neque Felicem pratorianis, &c. ] Pal. neque Felicionis, tamquam duo fuissent, quod perpendunt otiosiores. si enim simul prapropositi non fuerunt, at potuit alter alteri successisse. mihi sane nomen illud Felicio temerarium non videtur. potuit quoque figurare pluralem numerum quamvis ei sermo esset de uno.

<sup>5</sup> Quod nos Maurus venderet. ] Pal. quod ad Mauros venderet.

CASAUBONUS.

<sup>3</sup> Multa non esse facienda quæ feci. ] Melius, non fuisse f.

SALMASIUS.

<sup>2</sup> Neque Felicem Pratorianis cohortibus praponi debuisse. ] Palatinus: Felicionis. vetus editio: Feliciores. legendum putarem: Felicionem. Felicio nomen proprium, quod non infrequenter occurrit in veterum monumentorum inscriptionibus.

<sup>4</sup> Quid enim facerem quod nos Maurus venderet. ] Mirum quam diversa lectio exhibeatur à Palatino codice & editione principe. sic enim in illis legitur: quid enim facerem quod ad mauros venderet. hinc apparet vulgatam in moneta correctorum cusam esse. sub

illius antiquæ scripturæ corruptela nomen aliquod proprium latere non dubito, de quo divinandum est. quid si ad Mauros, heic positum est pro præfecto Maurorum? Mauri autem in aulico ministerio fuere. Juvenalis:

— tibi pocula cursor

Getulus dabit, aut nigri manus officia Mauri.

Suetonius in Nerone: armillata & phalerata Maracum turba atque cursorum. Maraces illi non de Cappadocia, sed de Africa. Ad Mauros igitur erit, præfectus vel præpositus Maurorum. nam præfectus à Mauris, & præfectus ad Mauros, & præfectus Maurorum dicebatur. sic procurator à rationibus, ad rationes & rationum. præpositus à fiblis, ad fiblas, & fiblarum. sic ab ægris, & ad ægros cubiculariorum, qui ægros ex cubiculariis curabat. videtur autem hoc ad Mauros, vel præpositus Maurorum multum in aula potuisse sub puero Gordiano, eo tempore, quo mater ejus & imperium & imperatorem ipsum regebat. legendum igitur esset: quid facerem quod ad Mauros me venderet & consilio cum Gaudiano & Reverendo, & Montano habito, vel laudaret aliquos, vel vituperaret. si quis tamen magis putat sub illis ad mauros latere nomen aliquod proprium, habeat me sententiæ suæ probatorem.



*audita vel à plurimis roborata confirmet.* His epistolis intellectum est, adolescentem foci consiliis emendatum atque correctum. Et Mithri quidem epistolam Græcam quidam fuisse dicunt, sed in hanc sententiam. Tantum autem valuit ejus gravitas & sanctimonia, <sup>1</sup> ut ex obscurissimo præter nobilitatem, gestis etiam <sup>26</sup> Gordianum clarum principem fecerit. Fuit terræ motus eousque gravis imperante Gordiano, ut civitates etiam terræ hiatu cum populis deperirent: ob quæ, sacrificia per totam urbem totumque orbem terrarum ingentia celebrata sunt. Et Cordus quidem dicit, inspectis libris Sibyllinis <sup>2</sup> celebratisque omnibus quæ illic jussa videbantur, mundanum malum esse sedatum. Sedato terræ motu, <sup>3</sup> Prætextato & Attico coss. Gordianus <sup>4</sup> aperto Jano gemino (quod signum erat indicti belli) profectus est contra Persas cum exercitu ingenti, & tanto auro ut vel auxiliis vel militibus facile Persas vincere posset. Fecit iter in Mœsiam, atque in ipso

## CASAUBONUS.

<sup>1</sup> *Ut ex obscurissimo præter nobilitatem, gestis etiam G. clarum principem fecerit.* Nihil mutandum: neque mens est obscura. Supra de juniore Gordiano: *litteris & moribus clarus fuit præter nobilitatem.* At hic tertius Gord. præter nobilitatem clarus fuit gestis, id est rebus bello gestis, de quibus dicturus est Capitolinus.

<sup>3</sup> *Prætextato & Attico Coss.* Anno altero prius quam periret Gordianus hic, fuerunt Coss. C. Vettius Atticus, & C. Asinius Prætextatus. errant igitur Aurelius Victor & alii historici, qui bellum contra Persas anno secundo imperii sui eum suscepisse scribunt.

<sup>4</sup> *Aperte Jano gemino.* Aurelius Victor: *in Persas pr. veclus est, cum prius Jmi ades, quas M. c. clauserat, patenti more vitrum f. ciff. mibi videtur mirum clausas Jani portas dici ab eo principe, cujus temporibus vis ulla ei novius fuit quæ: & quod caput*

est, qui in expeditione obiit, bello cum maxime ardente. Sed hæc aliter alii, ut dicebamus ad Suetonii lib. 11. cap. xxii.

## SALMASIUS.

<sup>1</sup> *Ut ex obscurissimo præter nobilitatem, gestis etiam.* Recte vidit vir acutissimus & doctissimus nihil heic esse mutandum. sic enim etiam alibi locutus est Spartianus in Heliogabalo: *simul quod ex luxuriosissimo, extitisse vir fortissimus, optimus, gravissimus, severissimus diceretur.* ita enim eo loci legendum esse docuimus, cum aliter vulgo legeretur.

<sup>2</sup> *Celebratisque omnibus quæ illic jussa videbantur.* Quæ illic jussa videbantur pro quæ illic jussa erant. de quo genere locutionis nobis alio loco dictum est.

## GRUTERUS.

<sup>5</sup> *Facile Persas vincere posset.* Pal. *Persas evincere, sine eo posset: an fuisse Persas devincere,*



ipso procinctu quicquid hostium in Thraciis fuit, delevit, fugavit, expulit, atque submovit. <sup>1</sup> Inde per Syriam in Antiochiam venit, quæ à Persis jam tenebatur. Illic frequentibus præliis pugnavit & vicit, <sup>2</sup> Sapore Persarum rege submoto. <sup>3</sup> Et post Artaxerxem <sup>4</sup> Antiochiam recepit: Carras & Nisibin, quæ omnia sub

Perfa-

<sup>1</sup> *Inde per Syriam in Antiochiam.] Pal. non habet voculam in.*

<sup>3</sup> *Et post Artaxersem & Antiochiam recepit & Carras, & Nisibin.] Repræsentavi omnibus apicibus scripturam Palatinam; meliorem utique vulgata; quæ erat: Et post Artaxerxem Antiochiam recepit, Carras & Nisibin. quis enim iste Artaxerxes in hac fabula, & quæ ejus partes? nimirum omnia fuerint integra, si mutaverimus Artaxersem in Artaxata.*

CASAUBONUS.

<sup>2</sup> *Sapore Persarum rege submoto. Et post Artaxerxem Antiochiam recepit.] Sapores hic rex est in imperio Persico secundus: successit enim Artaxerxi qui regnum illud instituit primus. Adverte genus locutionis: post Artaxerxem Antiochiam recepit. hoc est, recepit Antiochiam, captam aliquot annis prius ab Artaxerxe. ita exponendum, si hanc lectionem servamus. Sed mirum videtur nobis, captam dici ab Artaxerxe Antiochiam, unde sequeretur, fuisse eam longum tempus in Persarum potestate: quod neque Zosimus, neque alius quicumquam scribit. & profecto Antiochia non tum sed aliquot post annis à Sapore, non ab Artaxerxe fuit occupata. Lego igitur, Sapore Persarum rege submoto post Artaxerxem, Antiochiam recepit. Trajectione mens obscurata est: quæ videtur causa fuisse inserendæ voculæ &, nam rectum erat: Sapore Persarum rege post Artaxerxem, submoto. Zosimus in hac historia: τὴν δὲ πόλιν Σαπὶρος ἀρτάβαδον & μὲν Ἀρταξέρξην.*

SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Sapore Rege Persarum submoto: & post Artaxerxem.] Et hic locus inter corruptissimos jure suo debet censeri. cui mederi conati viri doctissimi, nihil conatu dignum præstiterunt. ego semper judicavi Artaxerxem heic locum tenere non posse. sed aut aliquid aliud quaerendum, aut hunc sedem suam deturbandum. tandem optimæ membranæ animi mei conjecturam adjuverunt, in quibus sic repperi scriptum: Sapore Rege Persarum submoto, & post Artaxersem. nec longum fuit, quin divinarem: Sapore Rege Persarum submoto, & post Artaxatam, Antiochiam recepit. Artaxata urbs hoc loco non est urbs Armeniæ, auctoribus celebratissima, & βασιλειον τῆς χιόρας. sed Artaxata urbs in Perside ἐπι τῆς Εὐφράτης, cujus meminit Strabo libro xi. hanc igitur heic intelligit Capitolinus. duplici tamen licet ad hanc lectionem distinctione uti: aut, Sapore Rege submoto post Artaxatam. aut: & post Artaxatam, Antiochiam recepit: ut Artaxata recepta, Antiochiam quoque recepisse intelligamus. Artaxata autem, Artaxata, pro Artaxatis. ut Megara, Megara pro Megaris. Hierosolyma, mæ, pro Hierosolymis. quod apud auctores frequenter occurrit. præstat tamen heic intelligere, Sapore Rege trans Artaxata remoto, Gordianum Antiochiam recepisse, & Carras & Nisibim, quæ omnia sub imperio Persarum erant.*

<sup>4</sup> *Antiochiam recepit: Carras & Nisibim.] Pal. & Carras & Nisibim. sic igitur distingue: Sapore Persarum Rege submoto post Artaxatam, Antiochiam recepit.*



27 Persarum imperio erant. Rex sane Persarum tantum Gordianum principem timuit, <sup>1</sup> ut quum instructus esset <sup>2</sup> & suis copiis & nostris, tamen civitatibus ipse praesidia sponte deduceret, easque integras suis civibus redderet, <sup>3</sup> ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret. Sed haec omnia per Misitheum focerum Gordiani, eundemque praefectum, gesta sunt. Effectum denique est ut Persae qui jam in Italia timebantur, in regnum suum pugnante Gordiano redirent, totumque Orientem Romana Respubl. detineret. Extat oratio Gordiani ad senatum, <sup>4</sup> qua de rebus gestis scribens, Misitheo praefecto suo & focero ingentes gratias agit: *cujus partem indidi, ut ex eo vera cognosceres. Post haec P. C. quae dum iter agimus gesta sunt, <sup>5</sup> quae ubique singulis triumphis digna sunt actitata, <sup>6</sup> etiam Persas, ut brevi multa connectam, <sup>7</sup> ab Antiochen-*

cepit, & Carras, & Nisibim, quae omnia sub Persarum imperio erant.

## CASAUBONUS.

1 *Ut cum instructus esset & suis copiis, & nostris, t.*] Scripti, ut cum instructus esset suis copiis, nostris tamen civitatibus, &c.

3 *Ita ut nihil quod ad eorum fortunas pertineret, attaminaret.*] Ambrosius de institutione virginis: *Semel mundo mortua, ne quaeso attigeris, ne attaminaveris quae sunt istius seculi.* Alibi ponitur pro inquinare, aut polluere, lib. 111. Cod. Theod. *Ne quis Judaeorum servum ex Christiano Judaicis sacramentis attaminet.* Aurelius Victor in Marco Antonino: *quae imprudentia regenda conjugis attaminavit.* Augustinus lib. XXI. *De civitate Dei: Rabidus canis facit hominem quem forte attaminaverit, contagione pestifera rabiosum.*

4 *Qua de rebus gestis scribens.*] Membranæ: *de rebus Persicis suisque gestis scribens.*

5 *Quae ubique singulis digna sunt actitata.*] Nullus sensus est hujus lectionis: neque miramur, deest enim vox

necessaria. Scribe ex omnibus membranis: *quae ubique singulis triumphis digna sunt actitata.*

## SALMASIUS.

5 *Quae ubique singulis digna sunt actitata.*] Repone ex veteri editione, & Palatino: *quaeque ubique singulis triumphis digna sunt actitata.*

## GRUTERUS.

2 *Et suis copiis & nostris, tamen civitatibus.*] Sic Palatinus; nec temere quid mutaverim; alioquin posset quoque legi, *ut cum instructus esset suis copiis, & nostris tamen civitatibus ipse praesidia sponte deduceret, &c.*

5 *Quaeque ubique singulis triumphis digna, &c.*] Sic bene Pal. antea fuerat, *quae ubique singulis digna, &c.*

6 *Etiam Persas, ut brevi multa connectam.*] Suboffendor istis, veniebatque in mentem restitui posse, *digna sunt actitata, etiam in Persas, ut brevi multa connectam. Ab Antioch. &c.* sed nec sic quidem locus integer.

## CASAUBONUS.

6 *Etiam Pers. ut brevi multa connectam, ab Antiochenis cervicibus, quas jam*



chenſum cervicibus, quas jam nexas Perſico ferro gerebant, & reges Perſarum, & leges amovimus. Carras deinde ceteraſque urbes imperio Rom. reddidimus. Niſibin uſque pervenimus: & ſi dii ſaverint, Cteſiphonta uſque veniemus. Valeat tantum Miſitheus præfectus & parens noſter: cujus ductu & diſpoſitione & hæc tranſegimus & reliqua tranſigemus. Veſtrum eſt igitur ſupplicationes decernere, nos diis commendare, Miſitheo gratias agere. His in ſenatu lectis, quadrigæ elephantorum Gordiano decretæ ſunt, utpote qui Perſas viciffet, ut trium-

nexas Perſico ferro gerebant, & reges Perſarum & leges amovimus.] Etiam & etiam velim cogitent acuti critici de horum verborum integritate: quam nos quidem præſtare nolimus. an non enim βαπτολογία quædam in illis ineſt? Perſas & reges Perſarum & leges. videtur glosſemate aliquo locus inquinatus. in regio non cervicibus ſcriptum eſt, ſed civitatibus. præterea ſcribunt omnes membranæ, quas annexas Perſico ſolæ. Omnino ſubeſt hic portenti aliquid. hoc ſatis video: ſed quomodo ſententiam inſtaurem, non video. Porro quantum datur intelligi, ex iſtis non poſſumus colligere Antiochiam à Perſis fuiſſe occupatam, & vi receptam à Gordiano: quod modo tamen dicebat Capitulinus.

GRUTERUS.

7 Ab Antiochenſum cervicibus, quas jam nexas Perſico ferro gerebant.] Sic quoque Pal. nec male. conveniunt enim omnia cum eis quæ ſupra dixit auctor. certe qui jugum eripit civium cervicibus, qui Perſarum reges, legesque amovet; iſ civitatem occupatam recipit.

SALMASIUS.

1 Et reges Perſarum & leges amovimus.] Totum hunc locum à correſtoribus interpolatum, ſic concinnamus: etiam Perſas, ut brevi multa connectam, ab

Antiochenſum cervicibus, quas jam nexas ferro Perſico gerebant, & Regem Perſarum amovimus. nam illud, leges, ex varietate lectionis ad oram notata in contextum irrepiſit. dicit autem & Perſas & Perſarum Regem ſeſe ab Antiochenſum cervicibus amoviſſe, quas jam nexas habebant ferro Perſico. Antiochia enim tum erat ſub imperio Perſarum. nihil heic vero portenti ſubeſſe puto, quemadmodum exiſtimare videtur clariffimus Caſaubonus.

2 Niſibim uſque pervenimus.] Vetus editio habet, Niſibim. quam ſcripturam agnoſcit etiam infra optimus liber Palatinus. nam & Niſibim, & Niſibenos in eo legas. Niſibis autem, & Niſibis & Niſibis hæc urbs dicta eſt. Stephanus ἐν ἑθνικῶν, in voce Antiochia: τῆς Μεσοποταμίας, Μυſδοκῆα καλεῖται, ἥτις ὠνομαζέται ἐπιχωρίων Νασιβη καλεῖται, ὅθεν Ἀπολλοφάνης ὁ στωικός φιλοσοφῶν Νασιβηνός, καὶ Φαρνῆχος Περσικῆς ἰσθμίας συγγραφεύς. ἥτις Νισίβη καλεῖται καὶ Νισίβις. ita enim debet legi locus ille apud Stephanum. perperam hodie excuſum eſt, Ἀσίβη & Ἀσίβηνος. vide eundem Stephanum in Νισίβις.

3 Valeat tantum Miſitheus præfectus parens noſter.] Scribe: præfectus & parens noſter.



triumpho Persico triumpharet: <sup>1</sup> Misitheo autem <sup>2</sup> quadriga equorum & triumphalis currus <sup>3</sup> & titulus hujusmodi, <sup>4</sup> MISITHEO EMINENTI VIRO, PARENTI PRINCIPUM, <sup>5</sup> PRÆTORII PRÆFECTO ET TOTIUS URBIS, TUTORI REIP. S. P. Q. R. VICEM REDDIDIT. <sup>28</sup> Sed ista felicitas longior esse non potuit. Nam Misitheus, quantum plerique dicunt, artibus Philippi, qui

<sup>1</sup> *Misitheo autem quadriga equorum & triumphalis currus.* ] Nescio quid sibi velit, quod in Palatino & editione prima legitur, *Misitheo autem quadriga ex equorum.* an, *Misitheo autem quadriga sex equorum?* quod verum esse puto. quadrigam sex equorum, pro sexjuge improprie appellat. sic nuper in Livio emendabam locum eodem genere corruptum, lib. XLII. ubi enim vulgo scribitur, & pulvinaria in conspectu fuerunt: optimæ membranæ ex bibliotheca Puteanorum scribunt, ex pulvinaria. nos sex reposuimus. id confirmant sequentia: sex pulvinaria in conspectu fuerunt: Jovi & Junoni unum: alterum Neptuno, ac Minervæ: tertium Marti ac Veneri: quartum Apollini ac Diana: quintum Vulcano ac Vestæ: sextum Mercurio ac Cerevi.

<sup>4</sup> *Misitheo eminenti viro.* ] Nos ante indicavimus, nulla ratione motos dubitavisse de hujus Misitheo appellatione viros doctos. *Mysitheum* tantum scribendum pro *Misitheo*. *Μυσίθεος*, ut *Δοσίθεος*, *Μνησίθεος*, *Κλυσίθεος*, & similia. recte igitur scriptum in veteri inscriptione, ut heic *MISITHEO*, quod est pro *MYSTHEO*.

<sup>5</sup> *Prætorii præfecto & totius urbis.* ] Hæc non sunt nauci. sed nec orbis magis placet, quod substituunt viri docti, nisi quis ira legendum contendant: PARENTI PRINCIPUM. PR. PR. TOTIUS ORBIS. TUTORI. sed magis est ut restituendum putem: *Misitheo eminenti viro, parenti principum, prætorii præfecto, tutori Reip.* deletis illis, & *totius urbis*; quæ nec agnoscit verus inscriptio, quæ Romæ existat, quamque

ad hunc locum produxit vir summus Casaubonus. eam inscriptionem puto eandem esse quæ heic à Capitolino refertur. nihil vero illi veteri lapidi deesse arbitror, nisi hæc duo verba, VICEM REDDIDIT.

## GRUTERUS.

<sup>1</sup> *Misitheo autem quadriga equorum.* ] Pal. *quadriga ex equorum*, ut voluerit forte auctor, *quadriga decem equorum*; vel *quadriga sex equorum*; latinitate sui avi minime ridicula.

<sup>5</sup> *Prætorii præfecto & totius urbis.* ] Pal. pro his omnibus tantum habet, *prætor totius urbis*.

## CASaubONUS.

<sup>2</sup> *Quadriga equorum, & triumphalis currus.* ] Trebellius in Pisone tyranno: *statuam inter triumphales, & quadrigæ currus Pisoni decreverunt.*

<sup>3</sup> *Et titulus ejusmodi, MISITHEO.* ] Inter antiquas inscriptiones, inventum fragmentum tituli similis huic, qui Romæ extare dicitur, in hæc verba: MISITHEO. PARENTI PRINCIPUM. P. R. TUTOR REIP. S. P. Q. R. ....

ita nuper hæc descripserunt viri docti: sed velim considerari attentius eum lapidem: nam vitiose descriptum esse nomen istud suspicor. causas antea diximus.

<sup>5</sup> *PRÆTORII PRÆFECTO ET TOTIUS URBIS.* ] Puto scribendum, *ORBIS*. quod etsi magnificentissimum est; non majus tamen quam quod sequitur, *TUTORI REIP.*



qui post eum præfectus prætorii est factus; ut alii, morbo extinctus est herede Rom. Rep. ut quicquid ejus fuerat, vectigalibus urbis accederet. <sup>1</sup> Cujus viri tanta in Rep. dispositio fuit <sup>2</sup> ut nulla esset unquam civitas limitanea potior, quæ non posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento, & larido, atque hordeo, & paleis condita non haberet: minores vero urbes, aliæ xxx. dierum, aliæ xl. nonnullæ duorum mensium: quæ minimum, xv. dierum. Idem quum esset præfectus, armâ militum semper inspexit. Nullum senem militare passus est, nullum puerum annonas accipere. <sup>3</sup> Castra

omnia

<sup>1</sup> Cujus viri tanta in Repub. dispositio fuit u.] Dispositio est provisio annonaria, ut loquitur Trebellius in Balista tyranno. vide locum. sic mox, tantum habuerat conditorum, ut vacillare dispositio Romana non posset. & Ammianus libro xix. ubi de Anatolio Illyrici præfecturam regente loquitur: & disponere apud eundem, pro annonæ provide-re. ut libro xiv. Antiochensi plebi suppliciter obsecranti, ut inedia dispelleret metum; non disponi quicquam statuit, vel ex provinciis alimenta conferri constituit. sic alibi.

<sup>3</sup> Castra omnia fossato circuibat.] Latina vox est fossatum pro fossa. ut apud Marcellum Empiricum, in fossatis se-pium requies. inde poni cœpit pro castris, quia castra semper fossa cingebantur, ut & Polybius monet. hinc est Φόσσατον recentiorum Græcorum vox ἀντὶ τῆς σπατόπεδον. Modestinus lege tertia, De re militari: Is qui à fossato recedit capite puniendus est. pro castris dixit, fossatum. at Capitolinus hic separat à castris, neque aliud fossatum quam fossa hoc loco. Sed videtur scribendum, Castrorum omnia fossata circuibat. vulgatæ enim lectionis Latinitatem nullus assequor.

GRUTERUS.

<sup>2</sup> Ut nulla esset unquam civitas limitanea potior, quæ non posset, &c.] Pal. po-

tior, & qua posset. an fuit? potior quin posset; & mox, quæque totius anni, &c.

SALMASIUS.

<sup>2</sup> Ut nulla unquam esset civitas limitanea potior, quæ non posset.] Adnumeret & hunc locum licet corruptissimis, qui apud istos auctores reperiantur locis. quem nos adjuvantibus membranarum & principe editione in integrum facili negotio restituimus. unius enim abnutivi remotione veram habemus hujus loci lectionem. sic igitur legendum distinguendumque: *cujus viri tanta in republica dispositio fuit, ut nulla unquam esset civitas limitanea potior, & qua posset exercitum populi Rom. ac principem ferre, quæ totius anni in aceto, frumento & larido atque hordeo, & paleis condita non haberet: minores vero urbes, aliæ xxx. dierum, aliæ quadraginta, &c.* quorum hæc est sententia. hæc fuit dispositio Mysithei, ut civitates limitaneæ omnes, quæ potiores essent, & exercitum pop. Rom. cum principe ferre possent, tantum haberent aceti, frumenti & laridi ceterarumque specierum in conditis, ut per annum totum quirent sufficere alendo exercitui Romano. quæ vero minores essent, & exercitum populi Romani ferre non possent, triginta dierum aut quadraginta haberent condita, vel duorum mensium: quæque mini-



omnia fossato circuibat, noctibus etiam plerumque vigiliis frequentabat. Amabaturque ab omnibus quod sic & Remp. amaret & principem. Tribuni eum & duces usque adeo timuerunt & amaverunt, ut neque vellent peccare, neque ulla ex parte peccarent. Philippus eum propter pleraque vehementer timuisse fertur. atque ob hoc per medicos insidias ejus vitæ parasse, & quidem hoc genere: Quum effusione alvi Mithis laboraret, atque à medicis sistendi ventris gratia poculum juberetur accipere, <sup>1</sup> mutatis quæ fuerant, id fertur datum quo magis solveretur: atque ita <sup>29</sup> exanimatus est. Quo mortuo, <sup>2</sup> Apriano & Papo coss. in ejus locum præfectus prætorii factus est Philippus Arabs, humili genere natus, sed superbus, qui se in novitate atque enormitate fortunæ non tenuit: ita ut statim Gordiano, qui eum in locum parentis asciverat, insidias per milites faceret, quæ tales fuerunt. Mithis tantum quantum diximus, habuerat conditorum, <sup>3</sup> ut vacillare dispositio Romana non posset. Verum

minimum, quindecim saltem dierum annonam haberent.

<sup>3</sup> *Castra omnia fossato circuibat.* Non mira aut nova diligentia Mithis heic proditur, si castra omnia fossa circuibat: nulla enim castra sine fossato. arguit igitur vitium lectionis vetus scriptura, quæ habet: *castra omnia fossatorum circuibat.* palam est debere scribi: *castra omnia & fossata eorum circuibat:* vel, *fossatum, fossatum* in castris recentioris Latinitatis auctores vocaverunt fossam. sic & *sudatum* pro vallo usurparunt. inde & fossatum pro castris, sed & pro exercitu dixerunt. id autem testimoniis velle confirmare quid aliud esset quam soli lucem fenestrare?

## CASAVBONVS.

<sup>1</sup> *Mutatis quæ fuerant, id f.* Vox excidit, quam reponere ex membranis regis ac Puteani, quæ fuerant parata id f.

## GRUTERUS.

<sup>1</sup> *Mutatis quæ fuerant parata, id fertur datum quo magis solveretur.* Reposui & Pal. nostris & aliorum membranis poscentibus vocem *parata*, qua male antea destituebamur.

## SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Apriano & Papo Coss.* Lege: *Arriano & Papo.* sic enim in lapidibus & veteribus Fastis hic consul appellatur. non dissimili genere Arriani historici corruptum in sequentibus habetur: nam Arpianus pro Arrianus scribitur.

## CASAUBONUS.

<sup>3</sup> *Ut vacillare dispositio Romana non posset.* Exposuimus paullo ante: & de conditis satis ad Hadrian. ita autem scriptum etiam in membranis, *dispositio Romana:* pro annona Ro. exercitus. Suspicebam scribendum esse, *dispositio annona*, ut apud alios saepe pre-







Gordiano affine suo, 'in tribunali processit, sperans posse imperium Philippo abrogari. Sed hac conquestione nihil egit, quum illum incusasset quod immemor beneficiorum ejus sibi minus gratus existeret. Et quum milites rogasset, quum aperte duces ambisset, factione Philippi minor apud omnes fuit. Denique quum se videret minorem haberi, petiit ut æquale saltem inter eos esset imperium, nec impetravit. Dehinc petiit ut loco Cæsaris haberetur, nec id obtinuit. Petiit etiam ut præfecti loco esset Philippo: quod & ipsum negatum est. Ultimæ preces fuerunt, ut cum Philippus pro duce haberet, & pateretur vivere. Ad quod quidem pene consenserat Philippus, ipse tacitus, sed omnia per amicos agens nutibus atque consiliis. Verum quum secum ipse cogitaret amorem populi Romani & senatus circa Gordianum, & totius Africæ ac Syriæ, totiusque orbis Romani, quum & nobilis esset, & nepos ac filius imperatorum, & bellis gravibus totam Rempublicam liberasset: <sup>2</sup> posse fieri <sup>3</sup> ut factione

## CASAUBONUS.

1 *In tribunali processit.*] Scripta lectio: *in tribunali conquestus est.* recte.

## GRUTERVS

1 *In tribunali conquestus est, sperans posse imperium, &c.*] Sic scripta aliorum lectio, & margo Palatini. nam textus ejus corrupte: *in tribunali cocest ut esset sperans possi.* erat in vulgatis, *in tribunali processit, sperans, &c.*

3 *Ut factione quandoque militum, Gordiano.*] Pal. *ut ficta quodcumque militum voluntate, Gordiano.* quod facile fuerit reformare in sensum meliorem, modo etiam constaret de consensu aliorum manuscriptorum.

## SALMASIUS.

1 *In tribunali processit.*] Optimus Pal. *in tribunali, cocestu esset.* ex quo primæ editionis auctor vulgandum curavit, *in tribunali concessit ut esset, dein-*

de sequentes correctores in *processit*, mutaverunt. non dubium est, veram esse lectionem, quam ex suis libris jampridem asseruit amplissimus Casaubonus, *in tribunali conquestus est.*

2 *Posse fieri ut factione quandoque militum Gordiano redderetur imperium.*] *Factio* semper in malam partem ponitur. factione Philippi Gordiano imperium abrogaverunt milites, & Philippo detulerant, nulla in eo factio militum sed Philippi, qui milites infestos Gordiano reddidit, malis artibus & fraudulentis ingenio. hic cum videret posse fieri ut reconciliata quandoque militum voluntate, Gordiano restitueretur imperium, ne hoc unquam fieri posset, Gordianum interficiendum curavit. nulla igitur heic etiam militum factio, si imperium Gordiano reddidissent, quod injuria, & alterius factione eidem abstulerant. scripti libri & antiquus



Etione quandoque militum Gordiano redderetur imperium, quum recentes in Gordianum iræ militum famis causa vehementes essent, <sup>1</sup> clamantem ante conspectum duci iussit, ac spoliari & occidi. quod quum primum dilatum esset, post, ut iussit, impletum est. Ita <sup>31</sup> Philippus impie non jure obtinuit imperium. Imperavit Gordianus annis sex. Et dum hæc agerentur, <sup>2</sup> Argunthis Scytharum rex finitimorum regna vastabat, maxime quod compererat Misitheum perisse, cujus consilio Respubl. fuerat gubernata. Philippus autem ne à crudelitate nancisci videretur imperium, Romam literas misit quibus scripsit Gordianum morbo perisse, seque à cunctis militibus electum. <sup>3</sup> Nec defuit ut senatus

tus excusi nullam heic factionem agnoscunt, sed ita legunt: *posse fieri ut ficta quandoque militum voluntate Gordiano redderetur imperium.* legendum puto: *ut reficta quandoque militum voluntate.* metuebat Philippus, ne milites quos infestos & offensos Gordiano reddiderat, voluntatem suam aliquando refingerent & mutarent, & cum Gordiano in gratiam redirent, ac reficta voluntate ac reconciliata, quam tunc aversam & infestam gerebant, imperium ipsi immerito ablatum, jure ac merito quandoque restituerent. melius aliquid fingant, aut refingant, qui meliores erunt fictores: ego aliud comminisci non potui.

<sup>1</sup> *Clamantem ante conspectum duci iussit.* Legebam olim, & distinguebam, nondum viso scripto codice, *clamantem ante conspectum, duci iussit.* sed me docuit Palatinus legendum: *clamantem è conspectu duci iussit, ac dispoliari & occidi.*

GRUTERUS.

<sup>1</sup> *Clamantem ante conspectum duci iussit ac spoliari.* Melius fortasse Palatinus, *clamantem è conspectu duci iussit ac spoliari.*

SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Argunthis rex Scytharum.* Idem liber: *Argunt Rex Scytharum, quod re-*

gis barbari nomen, barbære etiam enunciatum videri potest.

<sup>3</sup> *Nec defuit ut senatus de iis quæ non noverat falleretur.* Non defuit, ut falleretur senatus, pro non defuit senatum falli. quod vulgo diceremus in idiotismo nostro, *le Senat ne faillit pas d'être trompé: aut n'enst sçeu faillir d'être trompé.*

CASAUBONUS.

<sup>3</sup> *Nec defuit ut senatus de his rebus quas non noverat falleretur.* Id est, accidit necessario ut falleretur. Paulo aliter hoc dicendi genus usurpat Tacitus. ut in Annal. xiv. *Nec defuit Polycletus quominus ingenti agmine Italiae Galliaque gravis, postquam Oceanum transmiserat, militibus quoque nostris terribilis incederet.*

Propertius libro primo, *Et mihi non desunt turpes pendere corollæ.* Tibullus libro quarto: *Nunc tibi non desit faciem componere pu- gnæ.*

sic alii poëta, ut observat Scaliger. Non dissimilis est huic locutioni Hebraica phrasis, per verbum מלחמ quam apud disertiores Rabinorum noravimus. ut cum ait R. Aben Tybbon, in elegantiss. libello de rebus phisicis, quem fere transcripsit de libris Mosis ben Maimon, Judæorum omnium sine



natus de his rebus quas non noverat falleretur. Appellato igitur principe Philippo, & Augusto nuncupato, Gordianum adolescentem inter deos retulit. Fuit juvenis lætus, pulcher, amabilis, gratus omnibus, in vita jucundus, in literis nobilis, prorsus ut nihil præter ætatem deesset imperio. Amatus est à populo, & senatu, & militibus ante Philippi factionem, ita ut nemo principum. Cordus dicit, omnes milites eum filium appellasse, ab omni senatu filium dictum, omnem populum delicias suas Gordianum dixisse. Denique Philippus quum eum interfecisset, neque imagines ejus tolleret, neque statuas deponeret, neque nomen abraderet, sed <sup>2</sup>divum semper appellans etiam apud ipsos milites, cum quibus factionem fecerat, serio animo & peregrina calliditate veneratus est. Domus Gordianorum etiam nunc extat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit, <sup>3</sup>& villa eorum via Prænestina <sup>4</sup>ducentas columnas in tetrastilo habens, quarum <sup>5</sup>quinquaginta

Cary-

sine controversia præstantissimi: כל הנמצאים לא ימלטו מהיותם או עצם או מקרה *omnes res non abibunt quin sint vel substantia vel accidens.* Gallice ad verbum dixeris, ne peuvient faillir d'estre, id est, sunt necessario.

## GRUTERUS

1 *Neque imagines ejus tollere, neque statuas deponere, neque nomen abraderet, sed Divum.]* Ita fidenter restitui, suadente Palatino. inepte antea, tolleret, deponeret, abraderet.

2 *Sed Divum semper appellans.]* Ita & Palat.

3 *Est villa eorum via Prænestina.]* Istud etiam est à Palatino. nam editi, & *villa eorum*, tanquam penderet adhuc à superioribus.

4 *Ducentas columnas uno peristilo habens.]* Pal. *columnas intrastilo habens.*

## CASAUBONUS.

2 *Divum semper appellans.]* Reg. *sed dominum s. appellaret.* melius, *divum.* Sic Cassius Marcum, quem jactabat

mortuum; sic Opilius Macrinus Caracallam quem occiderat; & alii similiter, divos appellarunt, quos passim non erant esse vivos. De hoc Philippi dolo plura Zosimus.

## SALMASIUS.

3 *Et villa eorum via Prænestina.]* Pal. *est villa eorum.* sic igitur lege & distingue: *domus Gordianorum etiam nunc extat, quam iste Gordianus pulcherrime exornavit.* Est villa eorum via Prænestina, ducentas columnas uno peristilo habens.

4 *Ducentas columnas uno peristilo habens.]* Scriptus liber: *ducentas columnas intrastilo habens.* ex quo indubitata conjectura lego: *ducentas columnas in tetrastilo habens.* & sane tetrastylum fuisse, quæ sequuntur, ostendunt, nam quattuor ordinibus columnarum constitisse patet, & *quinquaginta columnas in unoquoque* *six* fuisse.

5 *Quinquaginta caristeæ.]* Idem optimus liber habet scriptum, *christeæ, pro*

cary-



Carysteæ, quinquaginta Claudianæ, ' quinquaginta  
 2 Synnades, quinquaginta Numidicæ, pari mensura  
 sunt. 3 In qua basilicæ centenariæ tres: cætera huic  
 operi convenientia, & thermæ quales præter urbem,  
 ut

*caristea.* forte *charistea.* nam ita scri-  
 bebant. inde veriloquium Isidori in  
 Originibus, qui caristeas, non à Ca-  
 rysto dictas, sed charisteas quod aspe-  
 ctu essent gratæ. *Charisteam*, inquit,  
*viride optimum, nomen ab aspectu habens,*  
*eo quod gratum sit iis qui gemmas sculptunt:*  
*ejus enim viriditas reficit oculos. vides*  
*charisteam illi esse quasi χαρισίον.*  
 in quo falsus est, & vitiosa scriptura  
 deceptus. viride autem & fluctibus  
 concolor Charisteam marmor. Sta-  
 tius:

*Et Chios, & gaudens fluctus æquare Ca-  
 rystos.*  
 ita enim scribendum: vulgo *fluctus*  
*spectare*, corruptissime. posset tamen  
 etiam legi:

*& gaudens fluctu certare Carystos.*  
 idem alibi de hoc Carystio marmore;

*& concolor alto*  
*Vena mari.*  
 in epulo Domitiani:

*Et Chios, & glauca certantia Doride*  
*saxa.*

CASAUBONUS.

1 *Quinquaginta Synnades.* Ita mem-  
 branæ pro *Synnadica*, & *Caristea*, non  
*Caristia*. In quibusdam editionibus  
 scriptum, *Syennitides*: quod in veteri  
 libro invenisse ait Ursinus: marmor  
*Syenites* *πύροποικίλον* habes apud  
 Plinium lib. xxxvi. cap. viii.

3 *In qua basilicæ centenariæ tres.* Sic  
 porticus milliaria apud Suetonium  
 in Nerone, à pedum mensura.

SALMASIUS.

2 *Synnades.* *Synnades* columna pro  
*Synnadica*. *τὰ Σύνναδα* Græcis urbs  
 Phrygiæ, unde illud marmor. Lati-  
 nis hæc *Synnas*. Phrygia *Synnas* Mar-  
 tiali & Statio:

*— cavo Phrygiæ quod Synnadis apuro.*  
 idem alio loco:

*Tom. II.*

*— viridis cum regula longo*

*Synnada distinctu variat.*

sed *Synnas* poetis illis videtur magis  
 esse dicta pro territorio *Synnadensi*.  
 sic *Nomas* pro *Numidia* Martiali:

*Quod Phrygiæ Synnas, Asra quod No-  
 mas mittit.*

idem alibi:

*Cui diadema daret marmore picta Nomas.*  
 idem *Arcada* pro *Arcadia* dixit in li-  
 bro de spectaculis:

*Non Marathon taurum, Nemeæ fronsæsa*  
*leonem,*

*Arcas Menalium non timuisset aprum.*  
 sic *Asida* pro *Asia*, & *Delphida* pro  
*Delphis*:

*Nec Delphis tua mentiatur ulli.*

eodem modo *gymnada* dixerunt pro  
*gymnasio*. de *Synnadico* autem mar-  
 more accipiendi versus illi *Papinii*:

*— ubi marmore picto*

*Candida purpureo distinguitur arca gyro.*  
 falluntur qui de marmorationis ge-  
 nere accipiunt, ex duob. marmoribus  
 composito. tale enim marmor *Syn-  
 nadicum*, candidum scilicet & ovatis  
 figuris vel orbiculis interstinctum.  
*gyrum purpureum* vocat ibi *Stadius*.  
 idem alibi de eodem marmore:

*— sola cavo Phrygiæ quam Synnados*  
*anuro*

*Ipse cruentavit maculis lucentibus Atis.*  
*Paulus Silentarius* in descriptione  
 Sanctæ *Sophiæ*:

*Καὶ Φρύγα δαιδαλέοιο διέβρισεν*  
*αὐχένα πέτρῃ,*

*Τὸν μὲ ἰδεῖν ῥόδοντα μεμίσθρον ἦέε*  
*λαύκῳ,*

*Τὸν δὲ αἶμα προφύρεοισι κὲ δργυ-*  
*φείοισιν αἰάτοις*

*Αἴθρῳ ἀπαράπληξ.* -----

*Strabo* *συναδικὸν λίθον τῆς ἀλατῶα-*  
*σπέτης πηλοσάζοντα* esse scribit κτ'  
*ποικίλιον*, sed de his alibi.



ut tunc, nusquam in orbe terrarum. Familiæ Gordiani hoc senatus decrevit, ut <sup>1</sup> à tutelis atque legationibus & à publicis necessitatibus, nisi si vellent, posterij eius semper vacarent. Opera Gordiani Romæ nulla extant, <sup>2</sup> præter quædam nymphæa & balneas. <sup>3</sup> Sed bal-

## CASAUBONUS.

1 *A tutelis atque legationibus, & à publicis necessitatibus.* ] Rarum privilegij exemplum, quo data est familiæ Gordianorum immunitas & privatorum munerum, & publicorum. Exemplum est ab Atheniensibus, qui bene meritis de Rep. sua dabant ἀπέλειπεν λειψεργιῶν. Lege orationem Demosthenis contra Leptinem.

## SALMASIUS.

2 *Præter quædam nymphæa & balneas.* ] In Palatino & prima editione, nymphæa. nymphæum & nymphium dicitur. est enim à Græco νυμφεῖον. sic musum & musium à μῦσιον. Nymphæum semper scribitur in antiquis lapidibus, nymphæa dicitur in veteri libro Glossarum P. Puteani: urbs omnis dividitur in sex partes, id est templa, domos, vicos, insulas, plateas & angiportus. templa sunt loca diis sacra. Domus publica ædificia, id est theatra, amphitheatra, circi, balneæ sive thermæ, nymphæa, culina, pistrina, hippodromi & reliqua. sed nymphæa perperam ibi scriptum arbitrator pro nymphæa, id est νυμφεῖα. errant porro qui nymphæa, lavacra vel balneas interpretantur. vehementer etiam hallucinatus est magnus Jurisconsultus qui ad leg. v. Cod. de aqueductu notat, nymphæa ædes esse publicas, in quibus nuptias celebrant qui ædibus carent ad choreas capacibus, ex Zonara in Leone magno qui ita explicat. non negem νυμφεῖα recentioribus Græcis œcos dici vel triclinia in quibus saltarent, & choreis vacarent qui nuptias celebrabant. νυμφεῖον οἶκον Suidas interpretatur, ἐν ᾧ εἰς νυμφαί, thalamum nempe intelligens. hinc & νυμφεῖα ædes illæ publicæ choreis nuptialibus

dedicatæ. sed illa νυμφεῖα nihil cum istis nymphæis habent commune, quorum heic meminit Capitolinus, & mentio est etiam illa lege v. de aqueductu. hæc enim nymphæa non ἀπὸ τῆς νυμφῶν, hoc est novis nuptis denominata sunt, sed à nymphis hoc est lymphis, & fere semper cum balneis vel thermis junguntur. hoc loco: nymphæa & balneas. leg. v. de aqueductu: quid in publicis thermis, quid in nymphæis pro abundantia civium conveniat deputari. & leg. vi. eod. tit. maluimus enim prædictum aqueductum nostri palatii publicarum thermarum, ac nymphæorum commoditatibus infervere. Nymphæa igitur sunt quæ Græci vocant ὑδρεῖα, Latini aquaria etiam & aquaria dixerunt. Glossæ: aquarium, ὑδραγωγίον. aliæ ὑδρεῖον exponunt. lacum ita vocabant. Glossæ: ὑδρεῖον, lacus, silanus, vetus inscriptio:

QVOD AQVAM NOVAM  
CONQVIRENDAM. ET  
IN MVNICIP. PERDVCEND.  
ET NYMPHEVM FACIEND.  
PEC. PVE. C.

Socrates lib. iv. cap. ix. τὸ ὑδραγωγεῖον γὰρ εἰσαχθέντι εἰς τὴν πόλιν Κλέαρχῳ ὡν τὸ πύλιον ἐπαρχῳ ὑδρεῖον μεγιστον κατασκευάσεν ἐν τῇ νυφῶ Θεοδοσίῳ ἀγορᾷ καλεσμένη. ὑδρεῖοι plane vocat, quod Latine nymphæa diceretur. Nymphæa à lacubus distinguuntur. P. Victor de reg. urb. Nymphæa duodecim Romæ fuisse tradit, lacus vero mill. cccclii. distinguuntur etiam à puteis. vetus inscriptio: EIVS. RECEPTVI. PVTEVM. AD. PROX. TRICLIN. VSVM. IN. HOC. SPHERISTIRIO. VBI. ET. IMPERAT. NYMPHEVM. FACIENDVM. CVRAVIT. Nymphæa sunt salientes, vel fontes manu

Arucci



balneæ privati hominis fuerunt & ab eo in usum privatum exornatæ sunt. Instituerat porticum in campo Martio sub colle pedum mille, <sup>1</sup> ita ut ab altera parte æque mille pedum porticus fieret, <sup>2</sup> atque inter eas pateret spatium pedum quingentorum: <sup>3</sup> cuius spatii hinc

atque

fructi aquam in publico ejaculantes. salientes à lacubus discernuntur. Vitruvius lib. viii. cap. vii. *in medio ponentur fistulæ ad omnes lacus, & salientes. idem alibi: ex huiusmodi locis & fontibus & in astu & ad portum Piræum ducti sunt salientes ex quibus bibit propter eam causam, sed lavationibus, & reliquis rebus utuntur.* Græcis ὑδρεία. hinc recte silanum ὑδρείον, hoc est salientem interpretatur vetus auctor Glossarum. miror principem Jurisconsultum ut probaret nymphae ades esse ad nuptias celebrandas & saltandum comparatas, *νυμφικὰ λῆτρα*, hoc est nuptialia lavacra ex Græcorum commentariis allegasse. quæ nihil ad rem pertinent. ut nec illud quod ibidem adfert, nymphae vel ὑδρεία apud Socratem in oraculo quodam chorearum nomine fuisse designata. non enim chorearum nomine simpliciter ὑδρείον illud vel nympheum cuius meminit ibi Socrates designatum fuit, sed nympharum saltantium & choreas per urbem agitantium. verba oraculi hæc sunt:

Α'χι' ὅτε δὴ νύμφαι δροσερῶ κ' ἄστου  
χορείου  
Τερόπιδμα σήσωνται εὔσεφείας κ' ἄ  
ἀγυιάς.

apud Ammianum in libris scriptis hii versus ita leguntur:

Α'χι' ὅτε δὴ νύμφαι δροσερῆ κ' ἄστου  
χορείη  
Τερόπιδμα σρωφῶνται εὔσεφείας.

Socrates: Ἐ ὑδραγωγὴ γ' εἰσαχθέν-  
τ' Κλέαρχ' ἂν τ' πόλιος ἔπαρ-  
χ', ὑδρείον μέγιστον κατεσκεύασεν  
ὡς τῆ νῦν Θεοδοσίῳ ἀγορᾷ καλεσμένη,  
ἢ ἐφημέθην δαλίλῆς ὑδάτος ἐφ' ᾧ ἔορ-  
τῶν ἰλαρῶν ἤχθη ἡ πόλις, καὶ τῆ τ' εἰσαχ-

τὸ λεγόμενον ὡς τῶ χρησμῶ τὸ, χό-  
ρειου τερόπιδμα σήσωνται εὔσεφείας  
καὶ ἀγυιάς. de lymphis vel nym-  
phis choreas agitantibus, in canali  
perquam ducebantur, & nympheum  
vel ὑδρείον in foro constituentibus,  
intelligendum & exponendum illud  
oraculum. nec ad nymphæa quid-  
quam pertinet, si quæ fuerunt in qui-  
bus nuptiales ballationes publice a-  
gitarentur.

<sup>3</sup> Sed balneæ privati hominis fuerunt. ]  
Quis ille homo privatus? an Gordia-  
nus? privatus igitur cum adhuc esset,  
eas balneas extruxerit. sed minime  
hoc vult Capitolinus, nec istum sen-  
sum admittit hæc lectio. Palatinus  
cum veteri editione heic legit: *privatis hominibus fuerunt.* scribit Capito-  
linus nulla Romæ extare opera Gor-  
diani præter nymphae quædam &  
balneas. sed balneas ad privatos ho-  
mines pertinuisse, & in usum priva-  
tum ab eo exornatas esse. non igitur  
publicæ fuere illa balneæ Gordiani,  
nec inter opera publica numerandæ,  
ut Titinæ thermæ, Diocletianæ, &  
reliquæ. notanda autem hæc locutio,  
*privatis hominibus fuere, pro privatorum*  
hominum fuere, vel ad privatos per-  
tinuerunt.

<sup>1</sup> Ita ut ab altera parte æque mille pe-  
dum porticus fieret. ] Iidem libri: *qua*  
*mille pedum porticus fieret.* scribendum:  
*aqua mille pedum porticus fieret.*

<sup>2</sup> Atque inter eas pateret spatium pe-  
dum quingentorum. ] Iidem: *atque inter*  
*eas pariter & spatium.* forte: *pariter es-*  
*set spatium pedum quingentorum.*

<sup>3</sup> Cuius spatii hinc atque inde viridaria  
essent. ] Palatinus: *viridarii essent.* cum  
sequitur vetus editio. *viridarius pro*  
*viridarium.* Glossæ *ἀνθεῶνας viridia-*  
*rium*



atque inde viridaria essent, lauro, myrto, & buxo frequentata: medium vero lithostrotum brevibus columnis altrinsecus positus, & sigillis per pedes mille: quod esset deambulatorium, ita ut in capite basilica esset pedum quingentorum. Cogitaverat præterea cum Mithreo, ut post basilicam, thermas æstivas sui nominis faceret, ita ut hyemales in principio porticus poneret, & suo usui essent vel viridaria vel porticus. Sed hæc omnia nunc privatorum & possessionibus & hortis & ædificiis occupata sunt. Fuerunt sub Gordiano Romæ elephantum xxx & ii. quorum ipse xii. miserat, Alexander x. alces x. tigres x. leones mansueti lx. leopardi mansueti xxx. belbi (id est hyænæ) x. gladiato-

riam exponunt. *viridia* etiam *viridaria* appellabant. Phædrus:

*Perambulante læta domino viridia.*

nam *viridaria*, quod vulgo legitur, negat versus admittere posse. apud Ciceronem vero lib. ii. epist. ad Atticum, ubi in omnibus libris sic scriptum habetur: *Cyrus agebat viridium, vel viridorum, A. G. Polæus* latius luminibus non tam esse suos. causa non erat quare tam acriter hanc lectionem defenderent viri docti. nam *viridium* ibi mendose scriptum est, pro *viridum*, hoc est *ἰνερδίων* A. G. Polæus. quod neminem spero esse negaturum qui vel tantillum habeat sensus communis. *viridorum* autem quod in omnibus editionibus propagatum est, omni mendo mendosius.

1 *Ita ut hyemales in principio porticus poneret, & suo usui essent vel viridaria vel porticus.* ] Vel me tacente locus hic non bene se habere fatetur. Palatinus, pro *porticus* habet *porticum*. & sine usu essent. his vestigiis ductus ad veram lectionem perveni, quæ est: cogitaverat præterea cum Mithreo, ut post basilicam, thermas æstivas sui nominis faceret, ita ut hyemales in principio porticum poneret, ne sine usu essent vel viridaria vel porticus. quod nemo non intelligat rectum esse.

## GRUTERUS.

1 *Ita ut hyemales in principio porticus poneret, & suo usui essent, vel viridaria vel porticus.* ] Pal. à manu prima: *hi males in principio cum poneret, sine usu essent, vel virid.* &c. mutatumque mox illud cum in porticum.

## CASAUBONUS.

2 *Quorum ipse xii. miserat, Alexander x.* ] Videtur scribendum xx. vel certe pro xii. xxii. ut quadrent minores numeri cum præcedenti xxxii.

3 *Belbi, id est hyænæ, x.* ] Regius, *belbi, id est hyænæ x.* quod erit, belbi x. & hyænæ pariter x. sicut statim, *hippotami & rhinoceros unus.* id est, unus hipp. & unus rhin. at vulgata lectio, *belbos & hyænas idem facit animal.* de quo nihil pronuntio.

## SALMASIUS.

3 *Belbi, id est hyænæ decem* ] Hæc est lectio optimi etiam Palarini. nec secus verus editio, & longe placet præ illa, quam suis codicibus debere se dicit Casaubonus: *Belbi, id est hyænæ.* ut diversa sint animalia belbi & hyænæ. *Belbus* igitur est *hyænæ* huic scriptori. sed *belbus* videtur esse pro *beluus*, & *beluus* pro *belua*: ut enim *merulus* & *merula*, *luscinius* & *luscinia*, *simius*



diatorum fiscalium paria mille: hippopotamus & rhinoceros unus: archoleontes x. camelopardali x. onagri

mius & simia: sic beluus & belua, ut ferus & fera. hinc nostrum beluus. Glossæ veteres: *ύαινα ζών*, bellua. item in Glossis quas habuimus ab eruditissimo Labbae, in capite de quadrupedibus: *λέαινα*, lea. *Πάρδος*, Pardo. *Αἴξ*, ursus. *ύαινα*, velina. Arnobius lib. vii. beluas hyenas manifesto appellavit his verbis: *cur non & canes & ursos & vulpes, & camelos, & beluas & leones?* nec enim ibi beluas generali nomine appellavit *πᾶσι θηρίαις*. nec alicui mirum debet esse, beluas dici hyenas, eo nomine quod omnibus feris est commune: cum nemini sit ignoratum beluas etiam proprie dictos elephantos apud omnes historicos, oratores & poetas. vetus epigramma nondum editum: *Horrida cornu processit beluar. stro.*

item: *Sed vario fugiendo malo cum belua gliscat,*

*Est tamen ex certis mors pretiosa feris.* nec plura opus est adferre: omnia enim testimoniis plena sic equus, absolute ferus dicitur. sic aper etiam ferus. elephas quoque ita vocatur. versus paulo ante citatus:

*Est tamen ex certis mors pretiosa feris.* ita in optimo, vetustissimoque libro legi: vulgo enim *feræ* editum habetur. in epigrammate nondum edito:

*Fert tamen, & domitus residentis iussa magistri,*

*Quoque velit domitor cogitur ire ferus.*

[ Archoleontes decem. ] Quinam aut quod genus isti Archoleontes, aut unde sic dicti? placebat olim summo Scaligero, *agrioleontes* legere. quod nequam possum probare. vetus omnis lectio habet: *arcoleontes*. Ita Palatinus liber, ita vetus editio. mutata una littera scribo: *argoleontes*, hoc est albi leones. Horum meminit Alexander in epistola ad Aristotelem, quam

longe diversam habemus ex scriptis codicibus ab ea quæ vulgo editionibus Q. Curtii postponitur. ita igitur describit hos argoleontes: *jam nos vigiliis inquietos quinta noctis hora buccina monebat ad quiescendum. sed assuere albi leones taurorum comparandi corporibus, qui cum ingenti murmure concussis cervicibus alti jubar in modum fulminum in nos impetum faciunt, exceptique ruunt venabulis.* *Αργαλέων* igitur est albus leo, qui non tam flavi sunt quam vulgares. nam *δρυγῶς* est *λευγῶς*, unde *δρυγῶδες*, qui candentes habet dentes.

CASAU BONUS.

[ Archoleontes decem. ] Egnatius & alii qui archoleontas volunt esse jubatos leones, haut dubie falluntur: nam jubati sunt omnes mares; at non omnes archoleontes: sed certum genus leonum, præcipua, ut vox sonat, vel magnitudinis, vel savitiæ aut coloris: quales in Europa nasci inter Acheloum & Nestum sive Nessum flavios scribit Aristoteles: longe illis generosiores, quos vel Africa alit vel Syria. verum non habuit philosophus notos leones Æthiopicos, neque Indicos, aliosque de quorum præstantia multa Plinius, Ælianus, Oppianus, & ceteri qui post Aristotelem eam naturalis historia partem illustrarunt. Sed habent hoc loco alii libri, *arcoleontes*. quare assentior Josepho Scaligero, qui legendum censet *agrioleontas*. ut opponantur isti leonibus mansuetis, quorum paulo ante habita mentio. eadem olim sententia fuit doctissimi viri Conradi Gesneri.

GRUTERVS.

[ Archoleontes decem. ] Palat. *arcoleontes*. alii mss. *acroleontes*. unde ingeniose Scaliger *agrioleontes*, quod etiam venit in mentem Gesnero, viroque ut optimo, ita & doctissimo.



gri xx. equi feri xl. & cætera hujusmodi animalia, innumera & diversa: <sup>1</sup> quæ omnia Philippus ludis secularibus <sup>2</sup> vel dedit vel occidit. <sup>3</sup> Has autem omnes feras mansuetas, & præterea efferas, parabat ad triumphum Perficum: <sup>4</sup> sed votum publicum nihil valuit. Nam omnia hæc Philippus exhibuit secularibus ludis & muneribus atque Circensibus, quum millesimum ab urbe condita annum in consulatu suo & filii sui celebravit. <sup>5</sup> Quod de Cæsare memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus evenisse perscribit. Nam omnes quicumque illum gladio appetiverunt (qui novem fuisse dicuntur) <sup>6</sup> postea interemptis Philippis, sua manu

## CASAUBONUS.

<sup>1</sup> *Quæ omnia Philippus ludis secularibus, vel dedit, vel occidit.* ] To dedit, refer ad venationes direptionis. Cassiodorus: **EMILIANVS ET AQUILINVS.** His Coss. millesimus annus Urbis Romæ expletus est: ob quam solemnitatem innumerabiles Philippus cum filio suo bestias in Circo magno interfecit: ludosque in campo Martio theatrales tribus diebus ac noctibus populo per vigilante celebravit. quadraginta etiam missus natali Romæ urbis concurrerunt, & Agon mille annorum actus. Lege quæ de his secularibus disputat Josephus Scaliger in quinto operis magni.

<sup>5</sup> *Quod de Cæsare memoriæ traditum est, hoc etiam de Gordiano Cordus evenisse perscribit.* ] Reg. de C. Cæsare. Suetonius observat extremo libro primo. Ammianus Marcellinus libro xxiii. reddidissetque pari splendore junior Gordianus, cujus monumentum nunc vidimus honorarium, apud Rosainam superato fugatoque rege Persarum: in factione Philippi præfecti præ. scelestis jurantibus paucis in hoc ubi s'pultus est leco, vulnere impio cecidisset. Nec errare diu manes ejus inulti: quod voluit clarente justitia, omnes qui in eum conspiraverunt, cruciabilibus interire suppliciiis. Non scio satis haberine ratio debeat lectionis quam regius exhibet: etiam de Gordiano Cordus dicit evenisse perscriptum.

## SALMASIUS.

<sup>2</sup> *Vel dedit vel occidit.* ] Dedit camelos, onagros, equos feros, & cætera hujusmodi animalia herbatica, quæ in spectaculo direptionis, quam sylvam dicebant, populo rapienda dabantur. occidit autem leones, leopardos, hyænas & ejusmodi feras, quæ in pancarpo occidebantur. de quo nos supra.

<sup>3</sup> *Has autem omnes feras mansuetas & præterea efferas.* ] Libri: & præterea efferatas. Julius Valerius in vita Alexandri: una missi usibus & deliciis tuis, ferarum genera quæ sunt nostratia, elephantos ccccl. Pardos vi. Rhinoceros lxxx. Pantheras vero iv. canes etiam in homines efferatissimos xc. Tauros ccc.

<sup>4</sup> *Sed votum publicum nihil valuit.* ] Quod votum publicum nihil valuit.

<sup>6</sup> *Postea interemptis Philippis.* ] Pal. & vet. ed. interemptis à Philippis. & paulo post, interemisse. lege: nam omnes quicumque illum gladio appetiverunt, qui novem fuisse dicuntur, postea interemptis à Philippis, se sua manu suisque gladiis, & iisdem quibus illum percusserant interemisse dicuntur. interemptis à Philippis, i. e. post interemptos Philippos.

## GRUTERUS.

<sup>5</sup> *Quod de Cajo Cæsare memoriæ traditum est, &c.* ] Ita etiam Palat. male vulgo aberat Cajo.



manu suisque gladiis, & iisdem quibus illum percusserant, interisse dicuntur. Trium igitur Gordianorum <sup>34</sup> hæc fuit vita, qui omnes Augusti appellati sunt, duobus in Africa interemptis, in Persidis finibus tertio. Gordiano sepulcrum milites apud Circejum castrum fecerunt in finibus Persidis, titulum hujusmodi addentes, & Græcis, & Latinis, & Persicis, & Judaicis, & Ægyptiacis literis, ut ab omnibus legeretur. DIVO GORDIANO VICTORI PERSARUM, VICTORI GOTHORUM, VICTORI SARMATARUM, DEPULSORI ROMANARUM SEDITIONUM, VICTORI GERMANORUM: <sup>3</sup> SED NON VICTORI PHILIPPORUM. Quod ideo videbatur

CASAUBONUS.

1 Gordiano sepulcrum milites apud Circejum castrum fecerunt in finibus Persidis.] Scribe, ut apud Eutropium, *Circessium*, sive *Circessium*. situm hujus castrum describit Procopius Persic. lib. II. *ἢ ἢ εἰ κτ' τὴν μέσῃ τῶν ποταμῶν χώρῳ, ἀλλὰ τῷ Εὐφράτῳ ἐν δεξιᾷ ἔχον. ἐστὶ δὲ τῷ ποταμῷ ἐπὶ ἡμέτερον Ρωμαίων φρέσιον ἔχον, ὃ Κιρκήσιον ἐπισημαίνεται, ἔχουσαν ἐς τὴν μέσσην ὄν' ἐπὶ Ἀσσυρίῳ μὲν ποταμῷ μέγας ἀνατολὰς πρὸς ἐκβολὰς ἔχον τὸ Εὐφράτη ἀναμύνην. τὸ δὲ φρέσιον τὸ ἔσθ' αὐτῆ πρὸς τὴν γωνίαν κείται, ἐν δὲ τῶν ποταμῶν ἡ μέσην ποιεῖται. καὶ πρὸς δὲ ἄλλο μικρόν τῷ φρέσιον ἐκτὸς χώρῳ τὴν μέσσην ποταμῷ ἐκτὸς ὑπολαμβάνον τείνοντες ἀνατολὰς ἀμφὶ τὸ Κιρκήσιον ἀποτελεῖ ἡμεῖς. Zosimus libro III. Τὸ Κιρκήσιον φρέσιον ἐστὶ κυκλωδρον ὑπὸ τῷ Ἀσσυρίῳ ποταμῷ, καὶ αὐτὸ τῷ Εὐφράτῳ. τοῖς δὲ Ἀσσυρίων ὀρείοις σωμαπτόμας.*

SALMASIUS.

2 Apud Circejum castrum.] *Circeum castrum.* ita verus editio. nec accedo sententiæ doctissimi Casauboni, qui *circessium* heic emendare postulat. nomen hujus castrum *κιρκήσιον* Græcis

scriptoribus, quod Latinis non est *circessium* sed *circense*. appellatio hujus castrum non Græca sed Latina, *circense*, quam Græci more suo *κιρκήσιον* verterunt. ut *castrense*, *καστρήσιον*, *milliense*, *μιλλιαρήσιον*, & similia sexcenta. *circense* autem dictum hoc castrum, quod in morem circi aqua circaretur. quod ostendit Zosimus his verb. τὸ *κιρκήσιον φρέσιον* ἐστὶ *κυκλωδρον* ὑπὸ τῷ Ἀσσυρίῳ ποταμῷ καὶ αὐτὸ τῷ Εὐφράτῳ πρὸς τὸ Ἀσσυρίων ὀρείοις σωμαπτόμας. inde igitur *circense* & *circum* dictum. Nam *circium* vel *circum* pro *circensi* etiam Latini dixerunt. Vegetius de Veterinaria lib. IV. cap. VI. Nam ut viliora ministeria taceamus, equestribus usibus vel maxime necessarios constat praelius *circens*, vel ad bellum *Humifcos*. praelia *circica* sunt *circensia*, sic *circum* hoc loco castrum, quod aliis *circense* est appellatum, Græcis vero *κιρκήσιον*. *circessium* tamen castrum dicitur Festo Ruffo.

CASAUBONUS.

3 SED NON VICTORI PHILIPPORUM.] Mior additum fuisse istud, quod æternam Philippo ignominiam notam inurebat: cum tamen ille nihil minus velle credi quam occisum à se Gordianum: quem cum ad senatum scriberet, finxit, morbo & sua



batur additum, <sup>1</sup> quia in campis Philippicis ab Alanis tumultuario prælio victus abscesserat: simul etiam quod à Philippis videbatur occisus. <sup>2</sup> Quem titulum evertisse Licinius dicitur eo tempore quo est nactus imperium, quum se vellet videri à Philippis originem trahere. Quæ omnia, Constantine maxime, idcirco sum persequutus, <sup>3</sup> ne quid tuæ cognitioni deesset quod dignum scientia videretur.

morte obiisse. in Probo qui simillime periit à militibus occisus, titulum similem refert Vopiscus: sed cujus clausula longe alia: VICTOR ETIAM TYRANNORVM.

## SALMASIUS.

<sup>1</sup> *Quia in campis Philippicis.*] Lege: *in campis Philippis.* nam ideo in titulo Gordiani memoriæ additum fuisse scribit Capit. & non victori Philipporum, quod in campis Philippis ab Alanis fuisset victus. cum tamen id minime sentirent, qui addiderunt, sed ad Philippos patrem & filium respicerent. sed si de campis intelligatur Philippis, mira prorsus erit locutio, qua quis dicatur campi victor, non hominum qui in campo pugnarunt. quod etiam hodie retinemus. nam victorem, campi magistrum extitisse dicimus. cui non absimile est illud

Vegetii, lib. III. cap. XXV. *prior ergo de caesis hostibus spolia capiat, & quod ipsi dicunt, colligat campum, prior clamore ac buccinis exultare videatur. Victor enim campum colligere dicebatur.*

<sup>3</sup> *Ne quid cogitationi tuæ deesset.*] Vetus & prima editio: *cognitioni.*

## CASAUBONUS.

<sup>2</sup> *Quem titulum evertisse Licinius dicitur.*] Titulum evertit, at monumentum ipsum non evertit. extabat enim adhuc Ammiani Marcellini temporibus: ut apparet ex illius verbis quæ modo produximus.

<sup>3</sup> *Ne quid tuæ cogitationi deesset.*] Scribendum, *cognitioni.*

## GRUTERUS.

<sup>3</sup> *Ne quid tuæ cogitationi deesset.*] Impressi, *cogitationi.* sed alterum est à m. etiam Palatino.

JULII